

logicis in Gymnasii Auditorio posuim, debita id recordatione me meminisse indicare in Historia Lectionum Gymnasii, nec indigna fortassis verba sunt, quae haec denovo repetantur: Ioachimus Zehnerus A. 1596. Catechismi Graeci praeceptum primum tradidit, tum in explicandis Adagiis sacris versatus est ab A. 1596. - 1600. & ab A. 1601. - 1604. in Similitudinibus sacris. A. 1604. proponere coepit Compendium suum Theologicum, addiditque Loco de Coniugio perspicuam Arboris Consanguinitatis & Affinitatis explicationem, editam deinceps Schlesingae A. 1609. A. 1608. Epistolam explicauit Amphilocho ad Seleucum, & sententias ex Patribus collectas, A. 1609. Libellum Epiphani de Vitiis Prophetarum, & A. 1610. in Sententiis insignioribus DD. Patrum colligendis occupatus erat.

Hisque verbis in Albo Gymnasii ad A. 1612. Viri optimi tradita legitur memoria: Feriis Pentecostes A. 1612. producenda fuisset Trinummus Plautina, sed intermissa fuit Actio propter obitum praematurum & luctuosum, sed beatissimum tamen, Reuerendi, Clarissimi, & Excellentissimi Domini M. Ioachimi Zehneri, Superintendentis hactenus Generalis & c., Viri incomparabilis, deq; Schola hac & uniuersa ditione Hennebergica praeclarissime meriti, cuius anima & memoria est in benedictione.

Quin & ex Ioachimi vitae curriculo, quod vocant, de Filiabus ipsius binis, scelere Sagarum Diabolico aspere exagitatis, haec commemoro: Es hat sich mit Schmerzen eröffnet / durch waser unmenschliche Bosheit / ob wohl nicht ohne göttliches Verhängnis / A. 1630. zween seiner Töchter (die vor sich zwar indess selig verschieden) das Leben abgekürzt worden.

Filia